



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Avrelii Avgvstini Hipponensis Episcopi Et S. R. E.
Doctoris Vita**

Lancilottus, Corneille

Antverpiæ, 1616

Cap. XXXVI. D. Augustini eximia doctrina, cum summâ humilitate
coniuncta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42857

CAPVT XXXVI.

*D. Augustini eximia doctrina, cum summâ
humilitate coniuncta.*

HIC tantus & talis cum esset, minimè
tamen inflabatur istâ scientiâ, verùm
ei, cuius omne datum optimum est, eo no-
mine gratias copiosè agebat, omnem de-
clinans laudem propriam ac inanem glo-
riam, quâ nulla pestis capitalior optimis
ingeniis potest accidere. *Nulla, inquit, pa-
gina sanctorum librorum, in quâ non sonet
quòd Deus superbis resistit, humilibus autem
det gratiam.* Quâ de causâ eos qui tales
sunt, constare videmus; qui verò semet ef-
ferunt, nonnumquam in hæreses nefandas
relabi: *nisi enim præcessisset, ait Iliodorus,
latens superbia* (deserto conscientie secre-
to, foris videri amans) *non sequeretur libi-
dinis manifesta ruina: quæ cum omnia ad se
trahit, simul vniuersa corrumpit.* Hanc ideo
tantopere vir sanctus auersabatur, vt suis e
laudibus, cum iis afficeretur, tristitiam ca-
peret, reprehensionibus verò lætaretur;
Christianæ videlicet humilitatis studiosis-
simus, quam Christus verbo tam sæpe com-
mendat, atque exemplis probat. De hac
Noster dicere consuevit: *Humilitas, penè
tota disciplina Christiana est.* Et alibi: *Sicut*

Lib. 3. De
doctr. Chr.
cap. 123.

Lib. 87. 99.

Lib. De
summo bo-
no c. 19.

Lib. 2 De
Genes. c. 5.

Li. 10 Cō-
fess. cap. 37.

*Humilitas
tota Christiana disci-
plina com-
pendium.*

Libro De *Demosthenes interrogatus, quid primùm ob-*
sanctâ vir- *seruari deberet in præceptis eloquentiæ, quid*
ginit. c. 3. & *secundò, quid tertio, semper respondit, pro-*
epist. 56. ad *nuntiationem; sic si interrogares, & quoties*
Dioscorû. *interrogares de præceptis Christianæ Religio-*
nis, nihil me aliud respondere, nisi humilita-
 OBSERVA *tem, liberet. Vnde tantâ erat animi demis-*

sione, vt qui spatiosum Scripturæ, vt ita lo-
quar, mare sæpiùs nauigio firmæ fidei, re-
misigio clari ingenij, ac Spiritus sancti secun-
dâ aurâ longissimè intrarat, vix tamen sibi
vela fecisse visus sit, ac ipso quodammodò
in littore se deprehensum putauerit. Ac ne
videatur liberaliùs hoc à me dictû, ipsum-
met age hoc de se fatentem audiamus:

Epist. 3. ad *Tanta est, inquit, Christianarum profundi-*
 Volusianû *tas literarum, vt in eis proficerem, si eas so-*
 S. Scripturæ *las ab ineunte pueritiâ vsque ad decrepitam*
 profunditas *seneçtutem, maximo otio, summo studio, me-*
liore ingenio conarer addiscere. Non quòd ad
ea quæ necessaria sunt salutis, tantâ in eis per-
ueniatur difficultate; sed cùm quisque ibi fi-
dem tenuerit, sine quâ piè recteq, non viui-
tur, tam multa, tamq, multiplicibus myste-
riorum umbraculis opaca intelligenda profi-
cientibus restant, tantaq, non solum in ver-
bis quibus ista dicta sunt, verùm etiam in re-
bus quæ intelligenda sunt, latet altitudo sa-
pientiæ; vt annosissimis, acutissimis, flagran-
 tissi-

tissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet:

Cum consummauerit homo, tunc incipit. Eccli. 18.

Idem ait, se rogatum quâ ratione peccatum Adæ in alios propagaretur, respondere solitum, *Hoc, ut multa alia, me ignorare confiteor.* Denique, *Etsi istorum argumenta*

(contra modum translationis peccati originalis) *soluere non valeam, video tamen inherendum esse Diuinis literis, &c.* Vnde bre-

uiter intelligas, quantâ temeritate ac impudentiâ nostræ ætatis hæretici, vniuersæ Scripturæ notitiam sibi arrogent, & cuilibet promiscuè illius lectionem permittant; cum tantus ille Doctor de se tam humiliter sentiat. Hoc addo, quod cum iidem in rebus ciuilibus habeant Aduocatos & Iurisperitos; omnes tamen in rebus ad fidem spectantibus (quo quidem nihil videtur esse absurdius) censores esse velint atque doctores.

Eâdem mentis humilitate, non tam præfuit quàm subfuit primùm sui instituti Religiosis, dein Hipponensibus ciuibus: & non solum re se gessit, ac si fuisset de sibi subiectorum numero vnus, sed animo ac sensu seipsum depressit; aliisque se non tam imperare, quàm seruire ex amore reputans, *Hi, inquit, sunt serui tui, fratres mei, quos*

S 4

filios

Epist. 29. ad Hieron. Lib. 3. De peccat. merit. cap. 2.

Impudens nouatorum temeritas.

Humilitas D. Augustini in gubernando.

Li. 10. Confess. c. 4.

filios tuos esse voluisti dominos meos, quibus
 iussisti ut seruiam, si volo tecum de te viuere.
 Eiusdem virtutis impulsu, modestissime à
 populo sibi commisso è suggestu veniam
 petens, sic ait: *Vobis loquor quibus inimicus
 efficior verum prædicans, quibus consulendo
 videor onerosus; quorum requirens utilita-
 tem, cogor offendere voluntatem. Noui infrir-
 mitatem meam, quam cum meis, & pro me,
 vestris orationibus, diebus ac noctibus offero
 sanandam Domino Deo meo. Diuersarum er-
 go curarum aestibus ac difficultatibus contur-
 batus, si quem fortè non ut poscebat audiui, si
 quem tristiùs quàm opus erat aspexi, si in
 quem verbum durius quàm oportebat emi-
 si, &c. si quis in suâ conscientia non agnouit,
 quòd de illo humanitus suspicatus sum; vos,
 quibus pro his atque eiusmodi offensis esse me
 fateor debitorem, simul me vestrum credite
 debitorem: nam pullos quos fouet, sepè in an-
 gustis, sed non toto pedis pòdere calcat & ma-
 ter, nec ideò desinit esse mater. Dimittite ut
 dimittatur vobis: dimittite amanti vos debi-
 ta difficultatis, qui nec contra inimicos debita
 tenere debetis crudelitatis. Hæc aliaque id
 genus summæ humilitatis indicia, exhibuit
 vir præter dignitatem Antistitis & adiun-
 ctam vitæ sanctimoniam, eruditione qua-
 que versus omnium ore celebratus.*

Lib. 50.

Hom. 24.

NOTA.

Ingeniosa
similitudo.A populo
veniã petit.